

Q. 524, 39

Q. D. B. V.

B. m.

II c
356

DE

HOMERO MEDICO,

X 1860596

GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS
CONSENSV,

PRÆSIDE

ADAMO BRENDELIO,

Philos. et Med. Doctore,

Modestè edifferet

RESPONDENS

IO. GOTHOFREDVS OERTELIVS,

Dresd. Misnicus,

IN AUDITORIO MEDICO,

25.

VII. Kal. Iun.

clō lccc.

VITEMBERGAE,

Ex Officina CHRISTIANI SCHRÖDTERI, Acad. Typ.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE (BAALD)

25

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA



THOMAS

MEDICUS

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

PRÆSIDI

ADAMO BRENNETIO

PHILOSOPHO DOCTORI

PHILOSOPHO

PHILOSOPHO

ADAMO BRENNETIO

PHILOSOPHO

ADAMO BRENNETIO

PHILOSOPHO

PHILOSOPHO

ADAMO BRENNETIO

23





I.



Ite patet Ars salutaris, quae cum
 amplitudine, et dignitate litera-
 rum studia adaequat, tum multa-
 rum rerum, imis naturae recessi-
 bus reconditarum, scientia non
 cedit, et antiquitate, quam ab ori-
 gine vltima generis humani ar-
 cessit, anteit, atque Diis immor-
 talibus suos inventores assignat. Cuius perstudiosos
 quondam fuisse sapientissimos homines, quos poetas,
 antiquissimum è doctis genus, appellarunt, accepi-
 mus, qui et in omni Philosophiae genere eminebant,
 suasque cogitationes non eo, quo quivis vteretur, so-
 luto, sed exquisito, ac numeris adstricto, sermone
 exponebant, et medicinam, quae, vt apud *Corn. Cel-
 sum*, solertem, et limatum Hippocratis interpretem,
 relatum legimus, studii sapientiae pars erat, illa tem-
 pestate rudem, et vulgarem, ac in sola herbarum no-
 titia positam, excolebant, atque amplificabant. Qui
 cum praeclaras res, et a vulgi captu seiunctas, pro-
 ferrent, variaque remediorum genera, hominibus
 nondum cognita, aperirent, et certis numeris, pedi-
 busque verba vincirent, ac neque vltius excurrere-
 rent, neque ceterius, quam par erat, subsisterent, et

A 2

ani-

animos praeterea omni affectuum genere pertenta-
rent ; admirati rudes illi homines, divinum aliquid
in iis latitare rati sunt, et svavitae quoque cantuum,
quibus loquebantur, capti, divino afflari spiritu, in
animum induxerunt. πάντες γὰρ οἱ τῶν ἐπῶν ποιητὰί οἱ
αἰγαθοὶ οὐκ ἐκ τέχνης, ἀλλ' ἐνθεοὶ ὄντες, καὶ κατεχόμενοι, πάντα
ταῦτα τὰ καλά λέγουσι ποιήματα. *Plat. de Furore poet.* Ex
quo factum est, vt Deorum quoque interpretes vo-
carint, et divinitatis laude affectos, summis profecuti
sint honoribus. Ita sentio, cum in mentem venit
recordari ἱεροῦ, Μηνὸς Κᾶρου καλουμένου, τιμομένου ἀξιολό-
γως, καὶ μετὰ τὴν Λαοδικείαν, καὶ τῶν Καροίων· συνέστηκε δὲ
καθ' ἡμᾶς διδασκαλεῖον ἠεροφίλιον ἰατρῶν μέγα ὑπὸ Ζεῦξιδος,
καὶ μετὰ ταῦτα Ἀλεξάνδρου Φιλαλήθους, καθάπερ ἔπι τῶν
πατέρων τῶν ἡμετέρων ἐν Σμύρῃ τὸ τῶν Ἐρασιστράτεον ὑπὸ Ἰκεσίου.
Strab. Libr. XII. Geograph. Et Alexandriae, vrbis Aegy-
pti amplissimae, et eruditissimis quondam homini-
bus, liberalissimisque studiis affluentis, propter ho-
norem, quo cumulati sunt medici, Artem celsissime
floruisse, memoriae prodidit, *Ammian. Marcellin. Hist.*
Libr. XXII.

II.

Atque hoc, quod dixi, affirmo confidentius, quo
illustrius est hanc in rem testimonium *Diodori* atque
Strabonis, virorum rerum antiquarum peritorum,
quorum ille Charondam, multarum legem condito-
rem, δημοσίῳ μισθῷ τοὺς νοσοῦντας τῶν ἰδιοτῶν ὑπὸ ἰατρῶν
θεραπεύεσθαι, sanxit, *Libr. XII.* hic vero τοὺς Ἰνδοὺς ἰατρι-
κὴν μᾶλλον τῶν ἄλλων τεχνῶν ἀσκεῖν, scriptum reliquit, *Libr.*
XV. Geogr. Atque idem, quem modo nominavi, *Strabo*,
tradit, e Germanis, (hi alterum Philosophorum Indo-
rum

rum genus, alteri enim Brachmanes vocantur,) medicos fuisse multos, καὶ μετὰ τοὺς ὑλοβίους τε δευτερευκένας κατὰ τιμὴν τοὺς ἰατρικούς, καὶ ὡς περὶ ἀνθρώπων φιλοσόφους. l. c. Et Cyrus apud Xenophontem magnam vatum, et medicorum curam gessit, ac exercitui μάντις καὶ ἰατρικούς interesse voluit, de Rep. Lacedaem. Quamobrem semper ἰατρικούς ἀρίστους secum duxit, quibus cum sermonem conferre de rebus naturalibus solitus est, Cyropaed. VIII. Quod institutum, laude plenissimum, Alexander Severus secutus, medicis salaria instituit, quemadmodum in vita sua Aelius Lamprid. scriptum reliquit. Atque his etiam motus videtur Lucianus, homo alias obtrectandi libidine corruptus, vt ἰατρικὴν περὶ αἴμα ἱερὸν, καὶ θεῶν παιδείμα, καὶ ἀνθρώπων σοφῶν ἴσθηδεύμα, nuncupaverit in *Abdicato*; et Plutarchus περὶ τῆς ὑγείας Philosophiae aeqve, ac medicinae peritus, τῶν ἐλευθερίων τεχνῶν ἰατρικὴν τὸ μὲν γλαφυρὸν, καὶ περὶ τὸν, καὶ ἴσθητερές οὐδεμίαν ἐνδεέστερον, pronunciaverit.

III.

Quapropter vt de *Homero Medico*, cuius mihi digna visa est tractatio, differere exordiar, in eo intelligentes vna inter se voluntate consentire video, poetam, quo nullum profanum scriptorem vetustiore habemus, omnem Philosophiam, docti hominis cognitione dignam, tenuisse, et Artem salutarem, quam primus a Philosophia, vt apud *Corn. Celsum* scriptum invenio, disiunxit Hippocrates, in artemqve, argutis praeeptionibus refertam, redegit, tractasse. Causam agat pro me, vt in antiquius, citeriusve non procedam, cum ipse poeta, qui medicinam omnem, per

varias fufam scientias, animo complexus est, tum *C. Plinius*, solertiffimus naturae indagator, et interpres, cuius clariffimum de *Homero* est elogium, quo multa eum de herbarum viribus, et facultatibus scripsisse commemorat, *H. N. Libr. XXV. c. 2.* Pariter ac *Galenus* non magis artis medendi, quam sapientiae studii narus, tradit, *Homerum* et incisionibus corporum saepius interfuisse, et hinc inde illius luculentam dedisse significationem. *Comment. 1. in Libr. Hipp. de natura bum.* Et *Plutarchus* demum multum in medicina valuisse poetam, affirmat, δῆλον γάρ, ὅτι καὶ περὶ διαίτης, καὶ περὶ τοῦ οἴνου, καὶ περὶ τῶν ὑδάτων, καὶ ὁμοίως τῶν ἄλλων τὰ λέγειν περὶ ἑκάστου, ὁ ποῖον τῆ φύσιν ἴσῃ, μίξεις ταῖς πρὸς ἀλλήλα καὶ κρείσσειν ἑκάστον γίνεσθαι ἐπιχειρήσῃ. *Symp. III. probl. 4.*

IV.

Vt igitur hanc rem, multorum sermonibus percelebratam, paulo repetam altius, de sententia medicorum medicinam omnem in duas dividam partes, quarum alterae principum appellatione distinctae, finem spectant, et vel bonam valetudinem tuentur, (Graeci *ὑγείαν* vocant,) vel labefactatam, et deperditam redintegrant, (*θεραπευτικὴ* illa appellatur;) alterae ministrarum nomine insignitae, viam ad finem consequendum muniunt. Atque harum aliae animum in cognitione instruunt, quod Physiologia, Pathologia, et Semeiotica sibi vendicant; aliae vero operationes, manibus perficiendas, tradunt, quo in numero Cheirurgia, Pharmacia, seu remediorum confectio, et apta demum, ac idonea vivendi ratio, seu Diaeta, sunt habendae.

Atque

V.

Atque ut demonstrem, *Homerum*, cuius virtutes non aemulatione, quod fieri non potest, sed intellectu sequimur, omnem medicinam animo comprehendisse, de illa commemorare parte, quae victus rationem definit, et secundae pariter valetudinis curam gerit, incipiam, quam conservari optime victu simplici, et naturae consentaneo, pertendit.

--- -- -- κόμισσε δὲ δι' Ἀφροδίτην
 τρεῶν καὶ μέλιτι γλυκερῶν, καὶ ἡδὲ ὄινω.

Odyss. XX. v. 68. et Odyss. VIII. 58.

Quam poetae sententiam fusius exponit et illustrat *Athenaeus I. Deipnosoph.* ἀπλήν, inquit, οὐν διποδέδωκε τὴν διαίταν, καὶ τὴν αὐτὴν ὁμοίως βασιλευσιν, ἰδιώταις, νέοις, πρεσβυτέραις, ὅπῃ αὐτὰ πρὸς πάντας κρέα. Etenim cibus simplex salubrior est multiplici, et variis infecto condimentis, ac facultate praesertim dissimili, propterea quod citius in ventriculo conficitur, in succumque, et sanguinem abit, ac nullam in ventre perturbationem concitat. *Homini*, ait *Plin. H. N. XII. 51. cibus utilissimus simplex. Acervatio saporum pestifera, et condimenta perniciosiora.* Quod etiam *Hippocr. Libr. de Flatibus*, confirmat, τοῦτο μὲν οὖν, ὅταν τις πλείονας τροφᾶς ἢ ὑγρᾶς, ἢ ξηρᾶς δίδωσι τῷ σώματι, ἢ τὸ σῶμα δύναται φέρειν, καὶ πόνον μηδένα τῷ πλήθει τῶν τροφῶν ἀπείθῃσι. τοῦτο δὲ, ὅταν ποικίλας, καὶ ἀνομίους ἀλλήλησιν ἐσπέμψῃ τροφᾶς. τὰ γὰρ ἀνομοία συσπάζει καὶ τὰ μὲν θάσσον, τὰ δὲ χολαίτερον πύσσειται. Et haec etiam causa est, quamobrem antiquissimi mortalium, qui victu simplici contenti, herbis, et oleribus vescebantur, diutissime, saluberrimeque vixerunt; et
 bruta



bruta animantia, pabulo simplici, ac tenui alta, rarius aegrotant. Τα μὲν θηρία τροφαῖς μονοειδέσι καὶ ἀπλαῖς χρώμενα, μᾶλλον ὑγιαίνει τῶν ἀνθρώπων. *Plutarch. Symp. III. problem. 1.* Proinde etiam *Poeta* carne tantum assa vesci solitos fuisse Graecos, qui ad Troiam duxerunt, scripsit *Iliad. II. v. 428.*

Μίσηλλον τ' ἄρα τὰλλα, καὶ ἀμφ' ὀβελοῖσιν ἔπειραν,
Ἄπησύν τε πρὸ Φραεῶς. — — —

Eundemque varietatis, et multitudinis ciborum nunquam mentionem fecisse, ex *Platone III. de Rep.* meminimus. οἶδα γὰρ, ὅτι ἴππῃ στρατῶς ἐν ταῖς τῶν ἡρώων ἐσιάσειν οὔτε ἰχθύσιν αὐτοὺς ἐσιᾶ, καὶ ταῦτα ἴππῃ θαλάτῃ ἐν Ἑλλησπόντῳ ὄντας, οὔτε ἐφθοῖς κρέασι, ἀλλὰ μόνον ὀπλοῖς, αἱ δὲ μάλιστα ἀνείη στρατιώταις εὐπορα. Οὐδὲ μὲν ἡδυσμάτων, ὡς ἐγὼμαί, Ὀμηροῦ πόποτος ἐμνήσθη.

VI.

Victui simplici, et sanitati servienti, adiunxit *poeta* potum pariter simplicem, et a variorum, ac eorundem inter se colluctantium humorum, admistione liberum, interque illum vino, cuius magna tuendae valetudinis vis est, primas tribuit, idque iure quodam suo maximopere collaudat, tum quod homines, aegritudinibus confectos, recreat, et erigit,

Ἄνδρῃ δὲ κεκμηῶπι μένος μέγα οἶνος αἰέξει,

Iliad. VI. 261. et, pulso ex animo moerore, laetitia perfundit.

Ἡ δὲ Διώνυσον Σεμέλη τέκε, χάριμα βροτοῖσι.

Iliad. XIV. 325. Nam vino aluntur vires, sanguis, colorque hominum, stomachus recreatur, appetentia ciborum invitatur, tristitia, et cura bebetatur, somnus conciliatur. *Plin. H. N. XXIII.*

N. XXIII.

N. XXIII. i. tum etiam, quod exhaustas instaurat vires, et hominibus, reddito animo, audaciam, roburque inspirat.

Νῦν μὲν κοιμήσασθε τετραπόμενοι Φίλον ἦτορ
Σίτου καὶ οἴνοιο· τὸ γὰρ μὲν ἔστι καὶ ἀλκή.

Iliad. IX. 701. et Odysf. XVIII. 327.

— — — ἀλλ' ἐνθάδε πολλὰ ἀγορεύεις
Θαρσαλέως πολλοῖσι μετ' ἀνδράσιν· οὐδέ τι θυμῷ
Ταρβεῖς. ἢ ῥά σε ονίῳ ἔχει Φρένας.

Plutarchus vero Symp. III. probl. 2. ἰατρὸν appellat, quod vino modico, et temperato nihil sit vtilius, salubriusve; et scite *Athenaeus*: οἶνῳ δὲ οὐ πρὸς ἡδονὴν μόνον, ἀλλὰ καὶ πρὸς ὑγίαν περισφορώτερον· πένσει γὰρ μάλλον τὰ σιλία, καὶ λεπτομερῆς ἂν εὐανάδοτον ἔστι· δύναμιν δὲ τοῖς σώμασιν ἐμποιεῖ, τὸ αἷμα δὲ ἐνερευθεῖς, καὶ εὐανάδοτον κατασκευάζει, καὶ τοὺς ὑπνοὺς ἀταράχτους παρέχει. *Deirnos. 1.*

VII.

Quum autem vinum in facultate operandi differat, et largius haustum, magna ciendi, fundendique humores vi valeat, ac spiritum, intus agentem, incendat, et exagitet: proinde *ardens* appellare non sine singulari rerum naturalium intelligentia, solitus est.

ἠδ' ἐν δαίθ' ὅτε πέρ τε γερούσιον αἴθοπα οἶνον
Ἀργείων οἱ ἀριστοὶ ἐνὶ κρητῆσι κέρωνται.

Iliad. IV. 259. Odysf. II. 57. et VII. 304. et XIV. 446. Ἰππεκαυμένον τὴν ὄψιν, μέλενα, ἢ ἐρευθερόν, ἢ θερμόν, καὶ ἐκκαίοντα, ὡς τοῦ αἴθρην. A qua tamen sententia discedit *Plutarchus*, αἴθοπα, inquit, οὐ καλεῖ τὸν ζοφερόν, ἀλλὰ τὸν διαυγῆ, καὶ λαμπρόν. *Symp. VI. probl. 2.* Cui tamen assentiendum non puto, propterea quod vinum secundum *Hippocratem*

B

II. de

Il. de Diaeta θερμὸν καὶ ξηρὸν ἐστὶ, et effectū quoque tale sentitur, cumque in venas, et sanguinem influit, tum vires suas prodit, ac magno corpus calore perfundit. Quod etiam *Horatium* movit, ut vina *Fervida* appellaverit, *Serm. II. sat. 8.* *Plato autem II. de Leg.* pueris nondum annis XVIII. natis, vinum penitus interdixit, ne ignis igni addatur. Πρῶτον μὲν τοὺς παῖδας μέχρις ἑτῶν ὀκτωκαίδεκα τὸ ὡρῶπαν οἴνου μὴ γίνεσθαι, διδάσκοντες, ὡς οὐ χρὴ πῦρ ὅππὶ πῦρ ὀχετεύειν εἰς τὸ σῶμα καὶ ψυχὴν, πρὶν ὅππὶ τοὺς πόρους ἐγχειρεῖν πορεύεσθαι τὴν ἐμμανῆ ἐυλαβόμενοι ἔξιν τῶν νέων. Hinc etiam *Bacchus* a Graecis *πυρεγενής* vocatus est, teste *Strabone Libr. XIII. Geograph.* Atque haec respiciens *poeta*, vinum non merum, sed aqua dilutum, bibendum iis, qui integra, et florente sunt aetate, praecipit, dum *Calypso* *Nympham Vlyssēm* ita alloquentem, inducit:

Λυτὰρ ἐγὼ σῖτον καὶ ὕδωρ, καὶ οἶνον ἐρυθρὸν
Ἐνθήσω μενοεικέ', ἃ κέν τοι λιμὸν ἐρύκοι.

Odyss. V. 164. Senibus vero, quod eorum vires effoetae sunt, et frigent, vinum merum conducere censet, quia agiles, et elasticas sanguinis partes, quae consumtae sunt, instaurat, et vitalem humorum circulationem, quae vitam tuetur, redintegrat.

Ζωρότερον δὲ κέραιε, δέπας δ' ἔντυνον ἐκάσσω.

Iliad. IX. 502. In quam sententiam scite *Plutarchus Symp. V. probl. 4.* Καθάπερ Ἀμφιπολίτης Ζώϊλος ἱστορεῖ, ἀγνοῶν, ὅτι πρῶτον μὲν ὁ Ἀχιλεὺς τὸν Φοῖνικα, καὶ τὸν Ὀδυσσεῆα πρῶτον ὄντας, εἰδὼς, οὐχ ὕδαρ εἰ χείροντες, ἀλλ' ἀκρατότερον, καθάπερ οἱ ἄλλοι γέροντες ὀπιτεῖναι κελεύει τὴν κρῆσιν ἐπειτὰ χείρων ὡν μαθητὴς, καὶ τῆς περὶ σῶμα διαίτης οὐκ ἀπειροῦ, ἐλογίζετο δὴ ποιεῖν ὅτι τοῖς ἀργούσι καὶ χολάζουσι ὡρῶπαν τὸ

τὸ εἰωθὸς σώμασιν ἀνεμμένα, καὶ μαλακωτέρῃ κρέσει ἀρμόζει.
 E contrario vero plurimum potum, maxime noxi-
 um est et corpori, et animo, prorsus vt iure dici pos-
 sit, neque viribus corporis utilius aliud, neque aliud volu-
 ptatibus perniciosius, si modus absit. Plin. H. N. XIV. 5. Di-
 ctis fidem facit, pondusque addit poeta Odyss. XXI. 293.

Οἴνος σε τρώει μελιθεῖς, ὅς τε καὶ ἄλλοις
 βλάπτει, ἵς ἄν μιν χανδὸν ἔλη, μὴδ' αἴσιμα πίνῃ.
 Οἴνῳ καὶ κένταυρον ἀγακλυτὸν Εὐρυλίωνα
 ἄασεν ἐν μεγάρῳ μεγαθύμου Πειριθόοιο,
 Ἔς Λαπίθας ἔλθοντ'. ὃ δ' ἐπεὶ Φρένας ἄασεν οἴνω,
 Μαινόμενῳ καὶ ἔρεξε δόμον κατὰ Πειριθόοιο.

Quamobrem etiam Athenaeus Bacchum μαινόμενον ap-
 pellat, quia mentem de sede sua deiicit, hominesque
 ad furorem adigit, ac corpus etiam resoluit, et enervat,
 καπόντῳ γοῦν τοῦ οἴνου εἰς τὸ σῶμα ἐπαναπλέει κακὰ ἔπβα,
 καὶ μαινόμενα, Herodotus apud eundem Deipnosoph. XIV.

VIII.

Deinde multum interest ad tuendam valetudi-
 nem, vt ab sumtis epulis iucundis animum sermoni-
 bus pascamus, et quieti, quae ciborum confectioni
 apprime seruit, indulgeamus, quod Nestorem, atque
 Machaonem post captos cibos, ab Hecamedā prae-
 paratos fecisse, poeta docet Iliad. XI. 641.

Τῷ δ' ἐπεὶ οὔν πίνοντ' ἀφέτην πολυκαγκέα δίψαν,
 Μύθοισιν τέρποντο πρὸς ἀλλήλους ἐνέποντες.

Fraudi enim sunt valetudini, quas pransi, caenative
 suscipimus exercitationes, quae cum humores depra-
 vatos, et frugis expertes, qui obscuro, et ignobili an-
 tea loco sepulti iacebant, et interposito tempore me-

liorem indolem adsciscere, ac lente dissipari poterant, erigunt, et exfuscitant, ac cum sanguine confundunt, tum ciborum digestionem conturbant, et viscidum, crudumve succum in sanguinem intrudunt, ac infarciendo glandulas mesenterii, magnos morbos, eosque diuturnos, ferunt. In quam sententiam e multis attulisse suffecerit *Galenum, Libr. de boni, et mali succi cibis:*
 ὡσαυτε γὰρ ἀγαθὸν μέγιστον εἶναι εἰς ὑγείαν τὸ πρὸς τῶν σιτίων περι-
 γυμνάσιον· οὕτω βλαβερώτατον ἅπαντα κίνησις ἢ σιτίοις. ἀναδί-
 δοται γὰρ ἐκ τῆς κοιλίας ἡ τροφή πρὶν πευθῆναι. Vnde fatius est, si ante, quam cibis vescimur, variis commotionum generibus, et uniuscuiusque naturae consentaneis, exerceamur, et post sumta alimenta quieti studeamus. Ita enim sentit *poeta Odyss. XXIV. 382.*

Οἱ δ' ἐπεὶ οὖν πᾶυσοντο πόνου, τετύκοντό τε δαῖτα.

IX.

Atque ita porro aeris, cuius permagna tuendae, et labefaciendae valetudinis facultas est, naturam, et qualitates, quas non recipit enarrandas hic scripturae modus, persequitur *Odyss. IV. 564.* Et sciens, prudensque praetereo lavationes, ac iniunctiones, quas exposuit *Odyss. III. 460. et VIII. 393.* Reticeoque varia aquarum genera, quarum mentionem fecit *Odyss. IX. 119. et XVII. 208. Iliad. XIV. 6.* Et omitto ortum, generationemve insectorum, ac praecipue vermium, quam fusius descripsit *Iliad. XIX. 24.* Neque arcesso ritum condiendi mortuos, quem expressit *l. c. 38.* Et tempero mihi, quo minus de somno, qui vires absumtas instaurat, et aetate confectos reficit, commemorem, quod
 in

in fine *Odyss. V. et XXIV. 253.* fatis abundeque expositum memini, quorsum huius rei studiosos remitto.

X.

Nunc constituta ordinis lege contendo ad alteram principem medicinae partem, quae sanandorum rationes morborum inicit, amissamque valetudinem idoneis remediis, reparat, et productis hanc in rem exemplis, *Homerum* Therapevtices peritissimum fuisse, declarabo. Quod cum ex aliorum morborum, tum praecipue Melancholiae curatione liquido, arbitror, constare potest. Contumax enim, et diuturna est affectio hoc delirii genus, quo aeger ab omni febre, et furore liber, desipit, ac falsa opinionis specie, quam suo malo veram credit, illusus, varias res, easque modo laetas, et iucundas, modo tristes, et adversas suo fingit animo. Graeci *μελαγχολία* duxerunt appellandum, morbum sedem, domiciliumque mentis affligentem, cuius cum varia sunt auxiliorum genera, copiose, accurateque a medicis exposita, quae recenseri non interest, tum horum non ignarus poeta fuit, et non contemnenda remedia proposuit. Quum enim cerebro, liquidi nervei officina, insideat Melancholia, eaque saepius omnem medicinam respuat, atque a forti, et constanti fibrarum cerebri nervearum, quarum emendatio, et correctio difficilima est, inflexione proficiscatur, quae novis liquidi nervei undis fibrillas nerveas in alias vibrationes agere nitentibus, obluetetur, hae per lubricum veluti ad circumferentias nondum correctas, et restitutas dilabentes, tremorem, et tensionem, qua gaudent, retineant,

neant, ac tueantur, necesse est; facile, expensis causarum rationibus, intelligamus licet, iucundos sermones, et acceptas hominum consuetudines, mentisque hilaritatem, omnem quandoque remediorum vim antecellere. Cui rei indicio est Achilles, qui Melancholiae deditus, oderat hominum consuetudinem, et cibi, ac aliarum rerum oblitus, luctu atque tristitia vitam trahebat. Huic Thetis omnes ex animo aegritudines iucundo sermone delevit, eumque ad epulas, et coitum cohortans, pristinae valetudini restituit. Quod poeta *Iliad. XXIV. 128.* ita commemorat:

Τέκνον ἐμόν, τέο μέγας ὀδυρόμενος καὶ ἀχεύων,
 Σὴν εἶσαι κραδίην, μεμνημένον οὐδέ τι σίτου,
 Οὐτ' εὐνῆς· ἀγαθὸν δὲ γυναῖκί περ ἐν Φιλότῃτι
 Μία γέθ', οὐ γὰρ μοι δὴρὸν βέη, ἀλλὰ τοι ἤδη
 Ἄγχι παρέστηκεν θάνατος, καὶ μοῖρα κραταίη.

Rarus enim coitus, inquit, Plinius H. N. XXVIII. 6. corpus excitat, medetur lumborum dolori, et mente captis, ac melancholicis. De qua tamen plura dici, instituti ratio prohibet, cum id satis superque tum a poeta, l. c. tum a medicis, quibus id negotii datum est, expositum memini. Nunc ad *λειποθυμίαν*, seu animi defectionem progredior.

XI.

Plena discriminis est affectio, qua cor in periculi societatem venit, et foedus inter mentem, et corpus sancitum, dissolvitur, ac, nisi statim homo recreatur, in vitae periculum venit, ac repentina morte extinguatur. Huius pariter curationem, ex praescripto artis suscipiendam, praeclare tradidit, quando Hectorem, et Sarpedonem, utrosque vulneribus confectos, atque

atque a magna sanguinis profusione fere enectos, et exanimatos, illum quidem gelidam aquae adspersionem refocillasse, *Iliad. XIV. 435.*

Ἐνθα μιν ἐξ ἵππων πέλασον χθονὶ, καδδὲ οἱ ὕδαρ
χιῦσαν· ὁ δ' ἀμπνύνθη, καὶ ἀνέδρακεν ὀφθαλμοῖσιν.

Hunc vero a frigido Boreae afflatu recreatum fuisse, *Iliad. V. 696.* commemorat.

Τὸν δ' ἔλιπε ψυχὴ, κατὰ δ' ὀφθαλμῶν κέχυτ' ἀχλὺς·
Ἀὐτὶς δ' ἀμπνύνθη πρὸ δὲ πνοιῆ βορέας
ζώχρει Ἰππνείουσα κακῶς κεκαφνῶτα θυμόν.

Cuius etiam sententiae non piget Hippocratem: κατὰ-
χύσις ἐπανάκλησιν θερμῆς ποιέεται *Secl. V. apb. 21. nec Aristot.*
Probl. IX. 9. Neque vero id iniuria. Etenim magnae humorum profusiones sine magna machinae corporeae perturbatione non contingunt, quae cum sanguinis mixtionem, et circuitionem turbant, ac convellunt, tum partes elasticas, vim roburque corpori conciliantes, dissipant, ac disiiciunt, atque incolas cerebri, seu liqvoem nerveum, mentis nostrae internuncium, et rerum, quae geruntur, interpretem, confundunt, et exhauriunt, ut animus a corporis consortio quasi se iunctus, in suis cesset functionibus, et machina corporea veluti navis, rectore destituta, fluctuet, et sensibus motuve orbata, concidat tandem, ac proster-natur. Quarum rerum statu frigida aquae adspersione auxilio est, multumque levamenti affert, et absumptos quos vocant, spiritus animales reducit, et instaurat, langvidos vero, et debiles exsuscitat, ac reficit, sanguinem vero exaestuante compescit, iniectisque quasi vinculis coercet, et obortam inter eius partes tempestatem sedat, atque componit. Idem reor de
aere

aere paululum frigidiore, qui respiratione haustus, languenti sanguinis motui succurrit, suffectoque robore, vires animat atque redintegrat, et arctatis, ac constipatis coecis corporis spiraculis, partes sanguinis agiles, in fugam sese conicientes, reprimit, atque repellit. Testem cito *Hippocratem Sect. V. aph. 23.* ἐν τούτοισιν δὲ δεῖ τὰ ψυχρὰ χρεῖσθαι, ὅπουθεν αἰμορραγίαι, καὶ λειποθυμῆαι, ἢ μέλαι. Τουτέων γὰρ τὰ πλείστα τὸ ψυχρὸν πολλὸν κατὰχρόμενον ῥήζεις δὲ, καὶ ἰχναίνει, καὶ ὀδύνην λύει.

XII.

Plures morborum curationes habet *Homerus*, cumulateque offert, inter quos paucis attigisse sufficiat *Hydrophobiam*, miserrimum, morbi genus, *in quo simul aeger et siti, et aquae metu cruciatur, Celsus V, 27.* quando *Teucrum*, qui *Hectorem* canem rabidum vocavit, ita loquentem inducit, *Iliad. VIII. 299.*

Τοῦτόν δ' οὐ δύναμαι βαλέειν κύνα λυσητῆρα.

Ex quibus illorum errorem coarguere licet, qui *poetam* *Hydrophobiam* latuisse contendunt, quem et *Plutarchus*, gravis scriptor, et fide dignus, revellit. τὸν γὰρ λυσητῆρα κύνα δηλοῖ ὅτι διὰ τοῦ πάθους τούτου προσεγορεύων, αἶψ' οὐ καὶ ἄνθρωποι λυσᾶν λέγονται. *Symp. VII. probl. 8.* plura apud *poetam l. c.* Neque minus scite curationes morborum per carmina, et cantus persequitur. Nam *Odyss. XIX. 455.* Autolyçi filii sanguinem, ex *Vlyssis* vulnere manantem, carminibus sistunt, vulnusque curant.

— — — ἐπαιδῆ δ' αἶμα κελαινὸν

ἔχεθον. — — —

Quam in rem eleganter *Apuleius Apolog. Veteres*, inquit, *medici etiam carmina remedia vulnerum norant, et omnis vetustatis certissimus autor Homerus docet, qui facit Vlyssis*
de

de vulnere sanguinem profluentem sisti incantationibus. Quae quidem curandi ratio apud Veteres frequentissima, fuit, quos multa morborum genera sanasse carminibus, ex bonis scriptoribus meminimus. Testem cito poetam, qui Graecos cantu, et carminibus levatos pestilentia fuisse, scribit Iliad. I. 472.

Οἱ δὲ πανημέριοι μολπῇ θεὸν ἰλάσκοντο,
καλὸν αἰείδοντες παιήονα κούρωι Ἀχαιῶν,
μέλποντες ἐκάεργον· ὁ δὲ φρένα πέρπετ' αἰκούων.

Pariter ac Melampus, qui Proeti, Argivorum Regis, filias, furore decem annis divexatas, et exagitatas, carminibus, herbisque sanavit, *Od. XV. 345.* quod Ovidius, perelegantis ingenii vates, *Metamorph. XV.* ita expressit:

*Clitorio quicumque sitim de fonte levavit,
Vina fugit, gaudetque meris abstemius undis,
Seu vis est in aqua calido contraria vino,
Sive quod indigenae memorant, Amythaone natus
Proetidas attonitas postquam per carmen et herbas
Eripuit furus, purgamina mentis in illas
Misit aquas, odiumque meri permansit in undis.*

Cuius etiam curationis amplissimum tulit fructum. Nam duabus regni partibus donatus a Rege est, quem admodum scriptum reliquit *Diodorus Lib. IV.* μελάμπος μὲν μάντις ὤν, τὰς ἐν Ἄργε γυναῖκας μανείσας διὰ τὴν Διονύσου μῆνιν, ἐθεράπευσεν. Ἄντι δὲ ταύτης τῆς εὐεργεσίας χάριν ἔλαβε παρὰ τοῦ βασιλέως τῶν Ἀργείων Ἀναξαγόρου τοῦ Μεγαπένθους τὰ δύο μέρη τῆς βασιλείας. Neque vero solum Arte medendi, sed etiam rerum arcanarum scientia excelluit Melampus, quippe qui brutorum animantium voces intellexit, et τῶν ὑπερπετραμένων ὀρνέων φωνὰς συνίση, καὶ παρ' ἐκείνων μαθητῶν προύλεγε τοῖς ἀνθρώποις τὰ μέλλοντα. *Apollodorus. Biblioth. I. 9.*

C

Quem-

XIII.

Quemadmodum vero morbi corporis ; ita etiam aegritudines animi cantu, et carminibus sanantur, quod inter alios *poeta* confirmat, quando Achillem aegritudinibus affectum, heroum res praeclare gestas fidibus canere, et cithara animum oblectare, commemorat. *Iliad. IX. 186.*

Τόν δ' εὖρον Φρένα τρεπόμενον Φόρμιγι λιγείη,
καλῆ δαιδαλέη, (Ἰπὶ δ' ἀργίρεο ζυγὸς ἦεν)
τὴν ἄρετ' ἐξενάρων, πτόλιν Ἡετίων ὀλέσασα:
τῆ ὄγε θυμὸν ἔτερπεν, αἶδε δ' ἄρα κλέα ἀνδρῶν.

Quam sententiám, per se manifestam, confirmat etiam *Gellius N. A. IV. 13.* *Tanta prorsus est affinitas corporibus hominum, mentibusque, ac propterea quoque vitiis ac medicis animorum, et corporum, ut etiam scriptores abunde significaverint, citharam, atque universam musicam Apollini, medicinae inventori, assignantes.* Quae curandi ratio nondum penitus exolevit, et nostra aetate in morbo Tarantino maxime elucet, quo correpti, per intervalla delirant, et incontinentia, ac tremore membrorum convelluntur; alii vero ad mare accurrunt, seseque in aquis immergunt; quidam foveas ingrediuntur, et multa terra, capite tantum eminente, semet obruunt, alii aliis modis insaniam produnt, quousque tandem alto quodam sopore opprimuntur. Hoc morbi genus a morfu Tarantulae seu araneae in Apulia originem ducit, cuius venenum cerebro, et nervis adeo infensum est, ut gravissimos spasmos, et distentiones in primis poplitum, et inguinum, excitet, ac demum, si malum penitus inveteravit, mortem inferat. De quo quidem passim multa fabulosa, et ridicula audias, illud tamen certum, et experientia comprobatum est, unicum

unicum auxilii genus in sono, a variis instrumentis
 musicis, et bellicis concitato, positum esse. Dum enim
 aegrotans animam agit, varia modulamina genera
 adhibentur, ad quorum vnum, morbo accommoda-
 tum, ita laborans gratis harmonici aeris repercussio-
 nibus, veluti e veterno, et letali torpore excussus, lan-
 gvida sensim membra movet, deinde iactat brachia,
 et, collectis viribus, sedet in lecto, citharoedo autem
 alacrius personante, in pedes paulatim erigitur, ac
 demum ducere choreas incipit, tanto quidem cum
 nisu, ut contineri interdum vix posse videatur; do-
 nec cum largo sudore vna venenum emanat, repur-
 gatoque sanguine, pristinam homo valetudinem re-
 cuperat. Porro et illud notari interest, aegrum, dum
 ad numeros saltat, si vel paululum citharoedus aber-
 ret, gravissime excruciar, quasi vis veneni, per o-
 mnes corporis succos diffusi, statim dominatum affe-
 ctaret. Neque etiam omnes hoc correpti morbo, vno
 eodemque sono levantur. Fuit, inquit, *Kircherus de*
Arte magn. puella, Tarantismo affecta, quae nullis in-
 strumentis ad saltandum instigari potuit, praeterquam
 strepitu tympanorum, explosione bombardarum,
 clangore tubarum, aliisque acutum, vehementemque
 sonum edentibus.

XIV.

Illud autem, arbitror, nemo inficiabitur, in grata
 harmonici aeris repercussione, seu musica, cum ad
 alios morbos, tum praecipue ad hoc malum depellen-
 dum, magnam vim esse, sicut de Ischiaticis proditum
 est, *illorum, quum maxime doleant, tum si modulis lenibus*
tibicem incinat, minui dolores, Gell. N. A. IV. 13. Etenim
 venena sanguini infusa, pro particularum suarum va-
 rieta-

rietate vario humores motu cient, eosque, iniectis vinculis, vel coercent, et retardant, vel, laxatis frenis, instigant, et incendunt, vel alio etiam modo corporis machinam laedunt, et non contemnenda damna inferunt. Quum igitur succi corporis a concentu musico quasi ex alto veterno exfuscitati, ad motum impelluntur, digladiatio quaedam, et colluctatio inter sanguinem, et virus oritur, quae, instrumento acrius, et validius pulsato, sensim paulatimque incrementum capit, quousque commotio a venenatis miasmatis concitata, debellatur, atque supprimitur. Quo facto, natura, quae antea prostrata iacuit, superior discedit, et instaurato humorum motu, intus sanguis exagitatur, patefactisque corporis poris, fermentum venenatum expiratione diffatur, ac tandem excusso sudore, (quo quippe morbum mitigari, penitusque saepius depelli, experientia compertum est) plane e corpore exterminatur. Quod si vero tota veneni vis ab harmonico concentu extincta non est, et semina quaedam relicta sunt, illa paulatim reviviscunt, actisque radicibus, denuo hominem affligunt. Cuius rei multa suppetunt exempla cum in morbis contagiosis, quod pluribus persecutus est *Fracastorius Libr. de morb. contag.* tum in Tarantismo, quemadmodum productis hanc in rem exemplis confirmant *Kircher. l. c. et Stalpart van der Wiel obs. rar. Cent. 1. obs. 100.*

XV.

Haecenus de partibus medicinae principibus. Nunc dicendo provehor ad ministras, quae, sicuti supra significavimus, animum notitia imbuunt, quas *Homerus* pari diligentia persecutus est, quod cum multis in locis, tum praecipue *Iliad. XX.* liquido apparet, quo causas

fas

fas morborum, qui orto Sirio homines affligunt, expromit, easque ab aere fervidiore rectissime arcessit. Hic enim nimium expansus, et spiritus, intus agentis, nisi impar, respirationi fraudi est, ac vitalem humorum itum in orbem, reditumque conturbat, et mortem tandem repentinam infert, quod experimenta Boyliana, et Florentina declarant, quibus animalia, in machinam pneumaticam coniecta, subducto aere crassiore, protinus exspirare didicimus, ob maiorem humorum expansionem, qua, remoto aeris aequilibrio, vi sua elastica nimium evolvuntur, et cava corporis, vasaque plus iusto inflant, ac distendunt, et humorum circuitum evertunt. Atque idem aer fervidior febres malignas, easque, praesertim si inquinamenti pollutus est, pestilentes incendit, quod *Homerus* declarat *Iliad. XXII. 39.*

λαμπρότατον μὲν ὄγ' ἔστι, κακὸν δέ τ' ἔστι σῆμα τέτυκται,
καί τ' ἔστι φέρει πολλὸν πυρετὸν δειλοῖσι βροτοῖσι.

Quae etiam causa est, quamobrem οὐλεον appellavit, *Iliad. XI. 62.* Ex quibus Astrologorum vanitatem coarguere licet, qui aeris noxas, et corruptelas a vi, tactuque siderum, atque planetarum coniunctione repetunt, cum hae causae nullam habeant inter se connexionem, neque intelligi potest, quo pacto causa adeo communis in res, et regiones distitas, ac personas quasi elective agat. Vid. *Mundus de aere vit. X.* Profecto, inquit, *Adr. Turneb. de vino*, ille nimis longe causas repetit, qui ex coelo ducit, cum multae sint citiores, et propinquiores, quarum praetermissio semper mendacii Astrologos condemnat, qui ut in mutis, brutisque animantibus, quod tamen non concesserim, ex coelo ista decernere possint, naturam semper eandem sine varietate obtinentibus: tamen in homine,

C 3

cuius



cuius vita tanta victus, cultusque varietate distincta est, tanta dissimilitudine legum, institutorum, iuris notitia, tanto artificiorum, et disciplinarum discrimine insignita, tanta voluntatis libertate donata, nihil ex coelo, nisi temere, et mendaciter, affirmari potest. Sed ad coelum, miasmatibus inquinatum, redeam, quod gravem sanitati labem adspersit, et morbos epidemios, eosque pestilentes, parit, ac totas devastat regiones, et longe, lateque solitudinem facit. Hoc accenso sulphure, et igne, expurgare praecipit, quae semina morborum consumunt, et νοσώδεις αἵμους extingvunt, *Odyss. XXII. in fine.*

Οἷον θεῖον χρῆν κακῶν ἀκῶν, οἷον δέ μοι πῦρ,
ὄφρα θειώσω μέγαρον.

Sulphuris vero naturam, eiusque qualitates fusius exposuit *Plin H. N. XXXV. 16. et Dioscorid. V. 78.* Historiam autem morborum acutorum, et chronicorum, ac eorundem causas, et fontes aperuit, tradiditve *Iliad. V. 341. et Odyss. XI. 396.*

XVI.

Quod vero ad Cheirurgiam spectat, quae, ut *Celsus* ait, inter reliquas medicinae partes *vetustissima* est, multum quoque in illa excellit *poeta*, cuius rei luculentam dat significationem curatio Menelai, qui ab inflicto vulnere, et larga sanguinis profusione, magnam virium iacturam fecerat. Principio enim Machaon telum e vulnere extrahit, quo educto, altitudinem illius inspicit, deinde sanguinem congruatum aqua tepida eluit, ac tandem idonea remedia adhibet. *Iliad. IV. 213.*

Αὐτίκα δ' ἐκ ζωστῆρος ἀρηρότῃ εἰλκεν οὔρον.
Αὐτὰρ ἐπεὶ ἶδεν ἔλκεθ', ὃθ' ἔμπεσε πικρὸς ἰσθός,
Αἷμ' ἐκμυζήσας, ἐπ' αἶψ' ἤπια φάρμακα εἰδὼς
πῶσθε, τὰ οἱ ποτὲ πατρὶ φίλα φρονέων πόρε χείρων.

Pariter

Pariter atque Eurypyli vulneratum femur Patroclus, exprompto prius telo, aqua calida abluit, et fovet, ac denique radicem quamdam amaram vulneri imponit, propterea quod remedia amara propter particulas salinas, acres, et rigidas naviter abstergunt, ac putredinem, quae partes faucias infestat, arcent, sanas vero a corruptelis tuentur, atque conservant. *Iliad. XI. in fine.* Quod etiam eandem in sententiam enarrat *Plutarchus Symb. 1. probl. 6. καὶ τὰ ἔλκη τοῖς πικροῖς ἴπικαναίνουσι Φαρμάκοις, ὡς ὁ ποιητὴς φησιν.*

— — Ἴπιδὲ ρίζαν βάλε πικρὴν,
 χερσὶ Νεατρίφας ὀδυνήφατον, ἢ οἱ ἀπάσας
 Ἐξ' ὀδύνας τὸ μὲν ἔλκη ἐτέρσετο, παύσατο δ' αἷμα.

Τὸ γὰρ τῆ γεύσει πικρὴν, τῆ δυνάμει ξηραντικὸν, ἔρως πρὸς ἰσχυροῦσι.
 Vulnerum autem deligationes, quarum magna est ratio habenda, scite docuit *Odyss. XIX. 455.*

Ὡτε ληνὸν δ' Ὀδυσσῆος ἀμύμονος, ἀντιθέοιο,
 Δῆσαν ἴπισαμένως.

De Anatomes vero peritia multa dicere non attinet, quia fauciorum membrorum curatio minus recte institui potest, qui corporis fabricam non habet cognitam, et partium cohaesionem, muniaque, quibus funguntur, ignorat. Qua de re plura persecutus est *Galenus in Libro περὶ τῆς ἀνατομίας, et in Comment. 1. in Libr. Hippocr. de Natura hum.* ad quae volumina huius rei studiosos delegamus.

XVII.

Nunc de Pharmaceia, quae conficiendorum remediorum rationem inquit, dicam, quam pari poeta studio exposuit, ut non contemnendam in ea diligentiam posuisse videatur. Cui rei indicio esse potest Helena, quae Telemacho pharmacum propinavit, quo omnis dolor, et moeror, qui eum divexaverant, consopitus est. *Odyss. IV. 219.*

Ἀντίκα ἄρ' εἰς οἶνον βάλε φάρμακον ἔνθεν ἔπινον,
 Νῆπενθές τ' ἀχολόν τε κακῶν ἴπιληθον ἀπάντων.

Etenim illud palam, atque manifestum est, remedia inconspicua particularum tenuitate sua in corpore munia exequi, et illorum subtilitatem sola sensuum nostrorum infirmitate non esse metiendam, aut in obvios mox humores oculos figendos, quae quippe ante, quam in venas, et sanguinem influunt, magnam subeunt mutationem,

tionem,

tionem, et, quod exinde conficitur, alias atque alias operandi facultates consequuntur. Egregie quidem natura tot remediorum varietate corpori est prospectum: neque tamen vilo modo inficiandum est, illa in operandi facultate differre, quae inter se minus ex praescripto artis remissa, et assumpta, intus turbas dant, et valetudinem, quae tueri debebant, magis, magisque percellunt, et corporis fabricam, quae omni ex parte conspirat, labefactant, atque convellunt. Id quod etiam poeta indicat:

Φάρμακα πολλά μὲν ἐσθλὰ μεμιγμένα, πολλά δὲ λυγρὰ.
Odyss. IV. 229. et Odyss. I. 260. ἀνδρῶν Φόνα, eiusdem vero voluminis *X. 235. λυγρὰ καὶ θυμοφθόρα* appellat: quibus tamen locis etiam venenorum qualitates, viresque exprimit, quae hausta, corpus pesum dant, et vitali humorum circulo vim inferunt. Et si nulla amplius suppeterent argumenta alia, tamen ipso Circes exemplo liquido, opinor, constaret. Haec enim Vlyssis socios pharmacis, varie inter se confusis, in sues convertit, et propinatis iterum aliis, humanae restituit formae, quod poeta fusius commemorat. *Odyss. X. 224. et 374.*

XVIII.

Super est, ut de notitia herbarum, in qua omnis veterum medicina sita erat, edisseram, cuius cum multis in locis, tum praecipue *Od. IX. 129* luculentam dat significationem, ubi herbae loti facultates describit,

Τῶν δ' ἴσις λαοῖο Φάροι μελιπύδα καρπὸν,
 οὐκ ἐτ' ἀπαρτεῖλαι πάλιν ἤθελεν, οὐδὲ νέεσθαι.

Eiusdem vero voluminis *X. 301.* naturam, viresque herbae Moly, quod Vlysses a Mercurio accepit, exprimit. *Iliad. XIV. 347.* crocum, hyacinthum, *Odyss. IV. 638.* cyperum, triticum, speltam, hordeum, *Odyss. VI. 60.* cedrum, thus, populum, ac cypressum, *Odyss. X. 509.* salicem, aliaque recenset, et eorundem operandi vires patefacit. De quibus tamen plura dici non vacat, cum ex iis, quae haecenus eam in sententiam pro ingenii tenuitate allata sunt, satis, abundeque liquet, *Homerum* cum poetam sine exemplo maximum, tum medicum non contemnendum extitisse, ut vel peritissimum quemque artis salutaris ad legendum invitet, et plurima edoceat, omnes vero ingenii, doctrinaeque gloria antecedit: quem in quantum quisque aut cognoscere, aut intelligere potest, in tantum diligit, atque miratur.

Q. 524, 39

H

M

GRAT

ADA

IO. GO

Ex Offici



B. m.



RO

O,

ORDINIS

DELIO,

re,

TELIVS,

CO,

25

RI, Acad. Typ.



KODAK Color Control Patches

Kodak LICENSED PRODUCT

© The Tiffen Company, 2000

- Blue
- Cyan
- Green
- Yellow
- Red
- Magenta
- White
- 3/Color
- Black

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

